



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Clara Virgo 12. Augusti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

omnis catus Christianorum quam sentina vitiorum? Sal-  
vianus.

## S. CLARA VIRGO

12. Augusti,

Dum Lucem habetis, credite in lu-  
cem ut filii lucis sitis. Luc. 12,

Francisci illustris partus Virgo CLARA est,  
mater eadem omnium Virginum, qua  
Francisci institutum æmulantur, jam ante  
parenti suæ quam nasceretur, à Christo è cru-  
ce laudata. Ergo unicum sexus sui miraculum  
ea facere molles Virgunculas docuit, qua  
multi in viris miramur, pauci imitamur. A-  
sperrimam vitæ rationem, atque ultimam,  
quam in ordinem suum invexit, paupertati  
tem cordi Deo esse, vel tunc probavit, quan-  
do abundare in vacuo etiam vase oleum fecit,  
& dimidium panem quinquaginta omnino  
Virginibus sufficere. Neque erravero, puto,  
si Moysi etiam fœminam æquiparavero. Cer-  
tè obsidione gravi cum Assisum cingeretur  
precibus ante Eucharisticum Epulum CLARA  
depugnans omnes in fugam hostes egit, cer-  
tiorque de victoria ab ipso met sponso Christo  
est facta. Ab hoc aliás nunc ad Nascētis cu-

nas

nas, nunc ad patientis tormenta spectanda  
cùm evocata esset, Crucis deinceps signo ita  
usa est, ut contra morbos Alexiteriarum,  
contra Orci minas Panopliæ vice esset. Jam  
moriens uti è terris cum purpurato senatu  
summum Pont. ita è cœlis cum candido Vir-  
ginum agmine Virginum Reginam, & cum  
hac summum Numen ad se pertraxit; itaque  
in cœlo fuit, antequam fuit. *Ex Surio.*

## M E D I T A T I O.

*In vitam S. Clare.*

1. **S.** Clara pingitur manu tenens Augustissimum  
Sacramentum, expressit illa virtutes Jesu Chri-  
sti in hoc Sacramento delitescentis. Hic Christus  
pauperrimus est, omnibus siquidem thesauris & divi-  
nis attributis nudatus apparuit. S. Clara fuit quoque  
pauperrima: Ordinem monialium instituit quæ solis  
eleemosynis vitam suam sustentarent. Ut paupertate  
Christus inveniret, de cœlo descendit: tu verò  
ut fugias eam, ad inferos præceps ruis. *Felicitas mag-  
na Christianorum quibus datum est, ut paupertate eman-  
t regnum cœlorum.* S. Aug.

2. Nihil castius Christo in Eucharistia, longè est à  
sensuum voluptatibus, quippe qui in eo sit mortui in-  
star; S. Clara studio castitatis, usque adeo jejuniis &  
austeritatibus conficiebat se se, ut necesse fuerit S.  
Franciscum ejus duriori vivendi instituto modum po-  
nere. Quid ad hæc tu delicatule? quem terret vel so-

la cogitatio mortificationum, quas hæc virgo alac  
animo quæslivit.

3. Admirabilis est obedientia Christi in Euchari-  
stia. Obedit omnibus sacerdotibus, omni tempore  
& loco. Ita S. Clara obediebat S. Francisco: ita tu  
quoque debes obedire præpositis. Considera quo-  
modo Christus obediat, & in Eucharistia, & in cruci-  
ut in posterum facilius obedias iis, qui vicem gerun-  
Jesu Christi.

## S. CASSIANUS MARI

13 Augusti,

*Non est discipulus super magistrum  
nec servus super dominum suum.  
Si Patrem familias Beelzebul  
vocaverunt, quanto magis do-  
mesticos ejus. Matt. 10.*

PULCHRIUS longè CASSIANUS post Pon-  
tificatum, quem apud Brixentas gesserat,  
quàm post Regnum olim Dionysius, Iudum  
in foro Cornelii exculaperuit, non ignarus ha-  
demum illas esse rasas tabulas, à quibus nec se-  
nectus mores expungat, quos olim infantia  
inscripsit. Sed heu quoties juventus indi-  
gnum tuis Doctoribus Minerval ingrata per-  
solvit?